



bodiana formant. De lacunis intra orificium vteri auctores non consentiunt. Quod ad structuram vteri pertinet, magis musciosa, quam cellulosa esse videtur, vnde quoque atonia, vitiosae secretioni inseruiens, facile explicatur. De vasis sanguiferis sinuoso tractu per vterum decurrentibus nullum amplius dubium relinquitur, sic quoque lymphaticorum praesentiam nemo negabit. Nervos, quibus gaudet permultis, accipit ex plexu pudendali interno, qui e nervis sacralibus inferioribus, intercostalibus, et plexu mesenterico inferiore componitur, atque hinc facile cognoscitur consensus vteri cum omnibus fere partibus corporis. Tubae Fallopianae a lateribus vteri excurrentes et cum marginibus anterioribus alarum vesperilionum connexae, duplici suo orificio nimirum apertura vterina et abdominali nexum cum cauo interno vteri habent et ovario, quod a tuba intra coitum se eleuante circumcingitur. Tubae pariter quoque tunica villosa et neruea obductae sunt, extus vero habent tunicam communem a peritonaeo. Ovaria, marginibus posterioribus alarum vesperilionum infidentia, et cum tubis coniuncta praeter vasa spermatica arteriosa venosa, ac lymphatica etiam vesiculas grauianas habent, lympham flauo albicante repletas. Haec de structura partium genitalium internarum notata sufficiant.

§. IV.

In explicanda morborum natura sedibus eorum indagandis causisque eruendis commode ipsam naturam sequimur, quae per signa externa saepe indicat, quid sibi molestum sit. Hinc medico, indicationem formanti, incumbit, signa morborum externa prius colligere apteque inter se componere, antequam ad symptomata, in functionibus machinae internis, inuenienda iudicio suo ducatur. Morbum, hacce ratione e signis quasi e speculo cognitum, propterea ex ipso aegroto expiscari debet, vt deinde certius ad causas veras penetrare possit. Hacce methodo synthetica certe felix fiet causarum inuestigator. Morbus vero, de quo nos agimus, frequenter admodum aegrotas ficta pud-